

veluti partes actus principalioris, seu quando ad finem unicum tendunt. Ratio, quia tunc unum quid morale efficiunt, quod non completur, nisi consummato actu principaliter intento. Sic qui furtum patrare statuerit, unicum committit peccatum, licet per plures dies de eo cogitaverit, propositum pravum saepius renovaverit ad hoc viam susceperit, tempus opportunum quaesierit, etc.; prior quippe voluntatis actus in illo ipso effectu vel opere externo perseverare virtualiter censetur (5).

163. **Resolves ex dictis.** — 1<sup>o</sup> Unicum peccatum committit, qui intendens fornicationem, mulierem turpiter tangit, osculatur, turpibus allicit colloquiis, et tandem fornicatur; ratio, quia omnes illi actus praevii ad actum consummatum natura sua ordinantur. Si vero ab initio voluisset

*in uno actu concupiscentiae v. gr. vel desiderii graviter laedendi inimicum, durasse tot vel tot horas, respondet: Dico: cum in aliquo ex his actibus uno calore concupiscentiae, unoque impetu in eadem cogitatione persistis, semel moraliter peccas; atque adeo non erit tempus explicandum. Quoniam vero quando huiusmodi actus v. gr. per sex vel decem horas perseverant, impossibile moraliter est, ut id uno eodemque impetu fiat; ideo necessarium tunc et sufficiens erit dicere: Per sex horas, vel per decem concupivi etc. Sic enim vel explicabuntur interruptiones, quae humano modo solent intercideret etc.*

(5) Ita S. Alphonsus (lib. 5. n. 40.): *Si quis proponat occidere hominem, et idcirco arma praeparet, viam arripiat, et inimicum occidat; unum peccatum committit, licet per plures dies illum quaesierit, et pluries voluntatem repetierit. Ita communiter S. Bonav... et S. Thomas etc.*

Illud hic iuverit advertere, S. Alphonsus pro ista thesi etiam Vasquezium post Salmanticenses (tr. 20. c. 12. n. 36.) allegasse; sed longe alia est Vasquezii sententia. Nam (in 1. 2. disp. 75. c. 2. n. 7., et de Poenit. ad q. 91. art. 1. dub. 5. n. 12., et alibi) eatenus tantum admittit unum esse peccatum, quatenus usurpatio

mediorum, v. gr. parare arma, unam eandemque participat malitiam, quae propria est finis. Caeterum peccatum multiplicari contendit non modo per *interruptionem somni* incidentis per iter, dum inimicum quaerit (disp. 75. c. 3. n. 11.), sed etiam per *inconsiderantiam naturalem, cum homo finem, ad quem tendit, nec expresse nec confuse considerat in ipso opere, quod facit: quemadmodum cum quis iter facit, ut occidat inimicum, et interim animus ita distrahitur ut nec recordetur homicidii, nec loci quo tendit, nec ipsius itineris* (ibid. n. 12.). Immo eo usque provehitur, ut per *interruptionem* multiplicari peccatum dicat, si inter haec dum de opere cogitatur, desit consideratio malitiae. Ita ille (ibid. n. 13.): *Cum dicimus peccatum interrumpi per inconsiderantiam, non intelligi debet per inconsiderantiam ipsius operis aut finis, sed etiam per inconsiderantiam malitiae, quando talis est, ut licet homo advertat, se ire v. gr. Toletum, quo initio se conferre decrevit animo occidendi inimicum, sed in ipso itinere prorsus obliviscitur malitiae finis non solum speciatim, sed etiam confuse, iam non dicitur continuari peccatum.* Quae quidem, prorsus singularia, nimis a sensu ac praemissa S. Alphonsi sicut et communi aliorum doctrina aberrant.

tantum mulierem tangere, et postea libidine inductus copulam perfecerit, duplex erit peccatum, adeoque non satis erit si copulam confiteatur. — S. Lig. n. 43.

2<sup>o</sup> Unicum facit peccatum Sacerdos, qui integrum Officium vult una die omittere, quia singulae Horae ordinantur ad complendum unum Officium. Duo autem peccata faceret, qui prius voluisset tantum omittere Matutinum, et postea nollet reliquas Horas recitare, quia duplex foret plane distinctus actus malae voluntatis.

3<sup>o</sup> Unicum perpetrat peccatum, qui ex eodem impetu passionis actum malum multoties repetit, v. gr. pluries se vel alium turpiter tangit, etiam cum aliqua interruptione; pluries inimicum percutit, vel ei plurima mala imprecatur, etc.; ratio, quia unicus est pravus voluntatis affectus, et actiones illae variae moraliter uniuntur. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 50.

4<sup>o</sup> Unicum peccatum facit, qui plures simul Fidei articulos negat, quia unicum est Fidei motivum, proinde aeque infidelis est qui unum articulum, ac qui omnes negat. — *Ita communiter.* — Item *probabiliter* unicum facit peccatum, qui eodem actu duodecim Apostolos blasphematur; quia omnes blasphemiae in Sanctos malitiam desumunt ex una relatione ad Deum. — S. Lig. n. 47.

5<sup>o</sup> Unicum facit peccatum, qui summam aliquam determinatam pecuniae furari intendens, pluribus vicibus, ne detegatur, eam subripit, quia unicus est pravus voluntatis actus, qui in ultimo furto consummatur (6). E contrario plura patrat peccata, qui pluribus vicibus ex eadem pecuniae massa furatur, quin totam auferre ab initio statuerit, quia singula furta obiectum in se totale efficiunt.

(6) Croix (lib. 5. n. 170.), quem excripsit deinde Mazzotta (tom. 1. disp. 1. cap. 2. prop. fin.), contendit, actus esse *moraliter* interruptos, quia *singuli actus ex se non ordinantur ad invicem*, et quia (ut ait Mazzotta) *singuli actus non ordinantur ad consummationem unius operis.*

Resp. Nego opus esse, ut actus ex se *ad invicem* ordinentur; ut enim ait S. Alphonsus (l. c. n. 41.), *actus externi moraliter uniuntur, si ad eiusdem peccati consummationem diriguntur.* Et revera quatenam ordinatio *ad invicem* inter *emere arma*, et *viam carpere* ad occidendum? Quatenam *ad invicem or-*

*dinatio* (sunt exempla a S. Alphonso allata) inter sermones et oscula et tactus? Non igitur horum inter se *ad invicem* ordinatio, sed eorum ex intentione agentis ordinatio ad unius operis consummationem unum *moraliter* opus constituit, adeo ut ista ordinante intentione adempta, omnes illi actus, qui, non secus ac furtula in casu, *habent in se malitiam consummatam, tanquam distincta peccata*, ut ait S. Doctor (ibid. n. 43.), *debeant explicari.* Quod vero Mazzotta non viderit, singulas surreptiones ordinari ad integri furti consummationem, mirum videbitur; sed nihil videri mirum debet, si quando scriptor alter ab altero mere transcribat.



6° Plura peccata facit, qui cum eadem pluries successive fornicatur; quaelibet enim fornicatio in se terminatur, seu obiectum totale constituit. — S. Lig. n. 46.

7° Plura peccata committit, qui ieiunium praescriptum per plures dies omittere statuit; nam licet illae omissiones oriantur ex una eademque voluntate, adhuc sunt plura peccata confitenda ut distincta, quia inter se nullam habent unitatem. — Lugo, *de Poen.* D. 16. n. 539. — S. Lig. n. 46.

8° Utrum vero unum vel plura peccata dicenda sint, quando obiecta materialiter et physice numero distincta ad unum actum referuntur, atque adeo utrum horum obiectorum numerum necesse sit in confessione exprimere, *controvertitur* (7). Alii cum Suar., Filliucc., Lugo, unum esse

(7) Sunt qui hanc quaestionem sic proponunt: *An ex diversitate vel multiplicitate obiectorum totalium multiplicentur peccata.* Sed non satis apte. Neque enim, qui negant peccata multiplicari, supponunt plura obiecta *totalia*, sed obiecta materialiter plura per modum unius obiecti adaequati concipi dicunt.

Deinde cum plura illa obiecta per modum unius concepta ad unum operantis actum habere debeant respectum, iidem auctores distinguunt, sitne efficax actus voluntatis, uti propositum, an vero inefficax, uti, v. gr. simplex affectus seu complacentia. Nam in casu posteriori cum voluntas plura illa non respiciat tamquam effectum consequendum, sed mere tamquam complacentiae obiectum, unicam malitiam atque adeo unum peccatum haberi tenent etiam plures ex illis, qui opinionem S. Alphonsi alioqui sectantur. Vid. Diestill. *De Poenit.* disp. IX. dub. 4. n. 236.

Si vero sermo sit de voluntatis actu efficaci, unitatem vel multiplicitatem peccati non ex unico voluntatis interiori actu desumi volunt, sed ex natura quoque actus exterioris, num scilicet plura illa obiecta unico vel pluribus externis actibus attingantur. Vid. De Lugo, *De Poenit.* disp. 16. n. 539. Hinc unum utique peccatum reperiunt in unica detractioe, quae alioqui plurium, v. gr. unius familiae seu Collegii famam laedat (Lugo, *ibid.* n. 135.), aut in actu, qui in plurium scandalum cedit;

at non sic definiunt de proposito, quo quis, v. gr. ad plures mulieres, aut pluries ad eandem accedere, aut triduo ieiunium seu horas canonicas omittere decernit (Lugo, *ibid.* n. 546.).

Caeterum si quis de ista quaestione ex pondere auctoritatis diiudicare volens, genuinas DD. sententias instituat suismet ipse oculis inquirere potiusquam aliis eos allegantibus caeca fide confidere, reperiet longe plures et quidem e gravioribus, pro ea opinione stesisse, quae poenitentem ab obligatione exprimendi obiectorum numerum eximit, et insuper plerosque veterum, qui hunc numerum exprimendum tenebant, ad id adductos fuisse, non quod plura pro obiectorum numero peccata agnoscerent, sed quod circumstantias aggravantes, cuiusmodi putabant obiectorum multiplicitatem, in confessione exprimendas esse opinarentur.

Supervacaneum vero videri potest auctores afferre, qui ab obligatione exprimendi numerum obiectorum eximunt. Ceterum duodecim referebat S. Alphonsus (lib. 5. n. 45.) et quidem non infimae notae: quinque alios addunt Salmanticenses (tr. 20. c. 12. n. 59.), tres alios Diana (tom. 1. tr. 7. res. 24. et 26.), his alios quindecim addit Mendo (*Stater. Opin.* disp. 2. n. 2-4.), alii quatuor apparent in lepido illo Dialogo Caramuelis cum Diana (*Theol. Fund.* XXIX, a n. 729.), his addi poterant Stoz (apud

peccatum dicunt; alii vero cum S. Alph. plura esse peccata volunt. Sua utique sententiae probabilitas favet. Hinc probabiliter unicum facit peccatum, qui unico actu plures feminas desiderat, plures homines occidere intendit, vel radit crumenam ad plures socios pertinentem (8).

164. *Quaesita.* — QUÆR. 1° *An explicanda sint in confessione media ad peccandum adhibita, si peccatum postea non fuerit consummatum?*

*Resp.* Alii affirmant, etiamsi media illa non fuerint mala in se, uti viam suscipere, scalam deferre ad furtum, etc. Ratio est, quia peccatum tunc non manet tantummodo internum, sed mediis istis externum evadit. Actiones enim illae, licet indifferentes sint *in se*, malae tamen ex fine malo evadunt. Alii vero negant probabiliter, nisi media ista in se mala sint, et tunc indicari debent, et quidem omnia, si sint specie diversa, ut tactus aut verba obscena ad sollicitandum adhibita.

165. — QUÆR. 2° *An plura peccata faciat, qui unico actu pluribus detrahit, vel coram pluribus?*

*Resp.* ad 1<sup>um</sup> *Controvertitur*, et duplex datur sententia probabilis, ut dictum est supra resol. 8.

Croix lib. 5. n. 150), et Struggl (tr. 2. q. 1. art. 4. n. 42. 43.), et allegatus Mendo (l. c.), et Catalani (*De Pecc.* Q. 12. cap. 10. n. 12.), et Roncaglia (tr. 2. q. 1. cap. 2. q. 2. resp. 2.), et Wagemann (*Synops. Theol. mor.* part. I. n. 45.), et apud ipsum Antonius Mayr, et (apud Lugo *De Poen.* disp. 16. n. 135.), Emmanuel Rodriguez, et Illung (apud Reuter tom. 1. tr. 5. n. 352.) etc.

Diximus plerosque veterum alia de causa affirmasse, obiectorum numerum esse constitutum. Huius rei porro demonstratio non congruit brevitati Compendii, et vix ullam praefert utilitatem praeter aliquam notitiam levis pro Auctoris scopo momenti. Nam nunquid negari potest sua utrique sententiae probabilitas, quam et adversarii concedunt? Atqui id iam sufficit ad quaestionem definiendam. In controversia enim, utrum adsit obligatio exprimendi in confessione obiectorum numerum, hinc probabilitas non sufficit ad imponendam obligationem, inde vero sufficit ad eam negandam. Quorsum ergo inanis ulterior labor cum inutili temporis iactura?

(8) Primum ex hisce casibus fac acci-

pias de inefficaci complacentia; secundum autem de pluribus unico ictu occidendis. Quoad tertium exemplum rem sic conficit De Lugo argumento a pari (*De Poenit.* disp. 16. n. 139.): *Probari potest doctrina nostrae illationis ex alio exemplo, quod admittit ipse Vasquez, ... quod scilicet peccatum aliquod contra duo praecepta duorum superiorum non habet duas malitias, nec ea circumstantia debet in confessione explicari si sint praecepta eiusdem rationis; utraque enim est malitia inobedientiae, atque adeo peccatum contra praeceptum divinum et humanum non habet duplicem malitiam inobedientiae... Ex quo argui potest ad casum nostrum. Nam peccatum illud fit etiam contra ius utriusque superioris, et laedit ius, quod uterque habet, ut ei obediatur, quae iura sunt diversa, atque adeo damnum illatum videtur esse diversum, sicut quando laeditur duplex ius duorum ad famam vel ad vitam; et tamen illa duplex laesio iurisdictionis non debet explicari in confessione; ergo nec in nostro casu.*



*Resp.* ad 2<sup>um</sup> *Controvertitur. Probabiliter unicum tantum facit peccatum; quia detrahere coram pluribus est tantum circumstantia aggravans: ius enim ad famam est unicum apud omnes, non vero multiplex. Proinde probabiliter nulla est obligatio explicandi in confessione numerum personarum, coram quibus aliquis detraxerit, sed sufficit dicere: Detraxi coram pluribus. — S. Lig. (ut probabile) n. 49. (9). — Lugo, Azor, etc. contra Lacroix et alios.*

*QUAER.* 3<sup>o</sup> *An plura peccata committat, qui plura mala diversa optat inimico?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Affirm. per se, si imprecantis intentio determinate feratur ad mala speciei diversae, v. gr. infamiam et mortem; quia desiderium speciem sumit ab objecto desiderato, ut infra dicitur n. 167. — S. Lig. n. 30. et clarius, Hom. apost. n. 63. et alii communiter contra aliquos.*

*Resp.* 2<sup>o</sup> *Neg. per accidens, quia scilicet haec mala diversa fere apprehenduntur sub generali mali ratione, ut media ad perniciem; quod fieri solet quando imprecationes ex impetu irae procedunt. — S. Lig. ibid.*

166. — *QUAER.* 4<sup>o</sup> *An plura faciat peccata, qui diu differt restitutionem?*

*Resp. Neg., si perseveret habitualiter in voluntate rem alienam retinendi, quia mala voluntas per modum continui cum re iniuste retenta perseverat. Attamen si iniustus possessor per notabile tempus restitutionis faciendae fuerit oblitus, et postea pravum propositum renovaverit, novum peccatum committet, quia mala eius voluntas moraliter interrupta censetur. — S. Lig. n. 40. et alii communiter contra alios, qui dicunt, iniustum rei alienae possessorem toties peccare, quoties ad obligationem restituendi attendit (10). — V. Casus, n. 150. et seq.*

(9) Ita S. Alph. (lib. 5. n. 49.): *Probabile est, non esse obligationem explicandi numerum personarum, coram quibus facta est detractio.*

(10) Cum teneri tuto possit S. Alphonsi doctrina (lib. 5. n. 40.) nempe, quod si quis statuit non restituere rem alienam, et in eadem voluntate semper, adhuc per annum, maneat, unum peccatum committit; quam doctrinam ipse (lib. 3. n. 683.) probabiliorē censet; consequitur, nihil opus esse in confessione exprimere, brevino, an diuturno tempore retenta res aliena fuerit. Et sane id non opus est ratione diuturni temporis, quia diuturnitas est circumstantia mere aggravans; quam in rem apposite Diana (tom. 1.

tr. 7. res. 157.): *Circumstantiae aggravantes non sunt necessario confitendae; sed dicta diuturnitas est tantum circumstantia aggravans. Ergo. Sed neque ratione multiplicis peccati. Unde Diana (l. c. n. 4.): Notet hoc Confessarius, et a multis scrupulis immunis erit: nam poenitens in confessione satisfacit tantum se accusando, non restituisse rem alienam: nec interrogandus est de tempore et de diuturnitate retentionis, vel de numero peccatorum, quae aliqui in tali diuturnitate committi putant; dummodo non proposuerit restituere, et postea mutato animo determinaverit, amplius restitutionem non facere.*

PARS SECUNDA  
DE PECCATIS IN SPECIE

*Agendum* 1<sup>o</sup> de peccatis internis; 2<sup>o</sup> de peccatis capitalibus.

CAPUT I.

DE PECCATIS INTERNIS

167. — *Triples eorum classis distinguitur, scilicet.*

1<sup>o</sup> *Delectatio morosa, seu libera complacentia in re mala per imaginationem exhibita ut praesente, sine desiderio.*

2<sup>o</sup> *Gaudium, seu deliberata complacentia rei malae praeteritae, seu operis mali peracti sive a se, sive ab alio (1).*

3<sup>o</sup> *Desiderium, seu actus voluntatis rem malam exoptantis. Dicitur efficax, si adsit intentio seu absolutum propositum id exequendi; secus inefficax vocatur (2). — S. Lig. n. 13.*

Quaenam autem sit horum malitia, et quaenam species, his paucis teneto:

I. *Desiderium etiam inefficax est vere peccatum, et induit speciem tum obiecti tum circumstantiarum.*

Ac 1<sup>o</sup> est *vere peccatum*. Constat enim ex praecepto, *Non concupisces* quod generatim et indefinite intelligi debet de prohibitione cuiuslibet pravi affectus. Insuper omne rei prohibita desiderium rectae rationi repugnat: turpe enim et inhonestum est desiderare, nempe sibi id exequendum aut absolute aut conditionate proponere, quod exequi non licet.

(1) Complacentia hic non dicit voluptatem aut delectationem haustam ex obiecti mali consideratione, sed potius quandam approbationem, qua voluntas perpetratum malum gratum et acceptum habet: quae quidem approbatio dici potest gaudium eo sensu, quod quis de malefacto non modo non dolet, uti oporteret, quinimo potius gaudet.

Caeterum gaudium proprie dicitur etiam de bono praesenti; imo definiri solet *boni possessi et amati fruitio* (Suarez, In 1. 2. Tr. 2. Disp. 7. Sect. 1. n. 3.-5.). Qua de re ita S. Thomas (1. 2. q. 31. art. 3. o): *Gaudium est quaedam species delectationis... Delectamur enim et in his, quae concupiscimus, ea adipiscentes... Sed*

*nomen gaudii non habet locum nisi in delectatione, quae consequitur rationem; unde gaudium non tribuimus brutis animalibus, sed solum nomen delectationis.*

(2) Efficacia aliqua etiam in desideriis inefficacibus adsit oportet; secus ne nomen quidem desiderii haec mererentur. Adest scilicet voluntas conditionate efficax, quae ad opus transiret, nisi quid aliud obsisteret. Hinc bene S. Alphonsus (Lib. 5. n. 15.): *Inefficax dicitur desiderium, si non proponit (absolute) exequi, sed consentit, quod exequeretur, si posset, cum, v. gr. dicit: Si possem furari thesaurum Ecclesiae, furarer.*